

tertia 16. 45. 8 &c.) quæ cum accessit D, vel temperatum, ut in prima, vel siccum ut in secunda, vel humidum ut in tertia, vel temperatè humidum, ut in quarta &c. præbere terris influxum &c. asserit; quodque *Electiones*, quas vocant, attinet, laxativa sumi suadet in prima, purgationibus interdicit in Secunda, itinera disuadet in tertia, ferere, plantare, & per aquas iter facere jubet in quarta &c.

VII. At enimverò non sufficiebat ita multiplicasse hæc & alia plura principia sine numero, ex quibus obviæ cuiusvis tempestatum in aëre, aut valetudinis in corpore humano &c. diversitati causam aliquam & rationem liceret arcessere; Sed, ut in futurum quoque talia, si Diis placet, præscire aliisque prænuntiare & cuique terræ loco speciatim applicare daretur, hæctenus enarratis cœli divisionibus, nova alia erat adjungenda, in duodecim Domos cœlestes, quo nomine aliud planè hîc intelligunt Astrologi, præsertim moderni, quàm duodecim signa, quæ Planetis pro domibus, dicto superius modo, distribuerunt. Quamvis enim is dividendi modus, quo Cardanus olim, Schönerus & alii usi sunt, eclipticæ semicirculum tam extantem quàm sub horizonte latentem in sex partes æquales, ductis per Zodiaci polos circulis, dividentes (quem modum ideo *Æqualem* alii vocabant) aliquam affinitatem cum 12. Signis five dodecatemoriis habere videatur, revera tamen cum his, nisi valdè per accidens (si nimirum dato aliquo tempore \vee & \sphericalangle principia præcisè in horizonte consistèrent) nunquam consentit. Et reperiuntur præter hunc æqualem alii adhuc quatuor modi, totidem Autoribus, *Avenestræ* sc. *Campano*, *Alcabitio* & *Porphyrio* ingenti adèò dissensu, probati, ex quibus tandem *Job. Regiomontanus*. *Avenestræ* modum, tanquam maximè rationalem ita posteritati commendavit, ut eo solo nunc Astrologi generaliter utantur, sæpiùs laudato interim Dn. *Abdia Trew* in *Nucleo Astrologiæ correctæ* p. 5. & seqq. non confitente solùm cordatè, sed argumentis pluribus commonstrante, Rationalem hunc, quem vocant, constituendarum domorum cœlestium sive *Thematis cœli* erigendi modum, minimè omnium rationalem videri.

VIII. Longum foret ac instituto meo parum utile, dissentientes has Astrologorum hypotheses fusiùs enarrare & explicare, quod factum jam ab *Origano* videre, qui volet, poterit, si Part. ejus II. „Cap. XI. lubeat consulere. Nobis id sufficiat indicasse, Antiquos, „ipso *Argolo* teste, omnem prærogativam, in dijudicandis in futurum

turum